



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Psalmi, Sev Precationes D. Ioan. Fisheri Episcopi Roffensis**

**Fisher, John**

**Lvgdvni, 1572**

Psalmvs X. Qvvm Vsqve adeo inimici sæuiant, vt ferre non possit.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-41688**

Obsecro Domine salua me, vt non  
præualeant aduersum me inimici mei.

Effunde super eos indignationem tuã,  
& ira furoris tui eos conturbet.

Confundantur vsque in æternum, cõ-  
tremiscant & pereant simul.

Cadant in puteum profundum, & non  
apponant vt resurgant.

Vt cognoscant, quod nomen tibi Do-  
minus exercituum, solus potens & ex-  
cellus in secula seculorum, Amen.

PSALMVS X. QVVM VSQVE

*adeo inimici seuiant, vt ferre  
non possit.*

**M**iserere mei Deus, quoniam con-  
culcat me inimicus, sine intermis-  
sione oppugnans coarctat me.

Absorbere me cupit omni tempore, &  
multi sunt, qui superbè mihi insultant.

Cogunt se pariter & abstrudunt, la-  
tenter vestigia mea obseruant, quo mo-  
do animam meam capiant.

Similes sunt leoni prædæ auido, & si-  
cut catulus leonis ex occulto insidiantur.

Itinera mea obsident, & oculos suos in  
miserum obuertunt.

Rece parauerunt pedibus meis ad in-



curuandum animam meam, profundam  
foderunt foueam.

Deus corrobora me in virtute tua, po-  
ne perfectam coram te viam meam.

Sustenta gressus meos in semitis re-  
ctis, ne fortè labascant pedes mei.

Afflictus sum vsque ad saturitatem,  
adiuua me propter insidiatores meos.

Mirabilem fac in me misericordiam  
tuam, & eripe animam meam de mani-  
bus eorum.

Absconde me à conuentu malignan-  
tium, à tumultu operãtionum iniquitatem.

Secundum misericordiam tuam viui-  
fica me, ne tristis deiciar sæuiente in me  
inimico meo.

Mitte lucem tuam, & veritatem tuam,  
ipsæ me ducent ad montem sanctum  
tuum, & in tabernacula tua.

Instrue manus meas ad bellum, com-  
pone quasi arcum æreum brachia mea.

Accinge me fortitudine ad prælium,  
prosterne insurgentes in me subtus me.

Instrue me in via qua ambulem, con-  
sule super me oculo tuo.

Concide ante faciem meam hostes  
meos, & odio me habentes disperde.

Ne



Ne superent me inimici mei, & coetus  
robustorum non obruant me.

Pone stabiles pedes meos, & rectas  
facito semitas meas.

In defectione mea lætantur, collecti  
sunt aduersum me, percutiunt, & non  
nouerim vt interficiant in via.

Omni die verba mea execrantur, con-  
tra me vniuersæ cogitationes eorum in  
malum.

Anima mea quasi in medio leonum fe-  
rocientium, quorum dentes velut lanceæ,  
& lingua vt acutus gladius.

Et quis stabit pro me aduersus omnes  
istos? aut quis expugnabit operantes ini-  
quitate?

Ab increpatione tua Domine fugient,  
& vocet tonitru tui præcipites ruent.

Qui respicis terram, & tremis tota  
tangis montes, & fumant.

A facie tua iudicium prodit, oculi tui  
æquitatem probant.

Custodi me Domine ab inimicis meis,  
sub vmbra alarum tuarum protege me.

Iudica mihi nocentes, pugna contra  
oppugnatores meos.

Abeant retrorsum, qui me persequun-

E



tur: opprobrium ferant, qui malum mihi volunt.

Sint sicut puluis ante faciem venti, & angelus tuus eos exagitet.

Sicut propellitur fumus, euanescant: sicut liquefcit cera à calore ignis, sic pereant illi à facie tua Domine.

Confringe eos, vt non possint consistere, ne cesses, donec eos deleueris.

Sint viæ eorum obscuræ ac lubricæ, & angelus tuus eos virgeat.

Et tu Domine Deus miserere mei, opem mihi ferto, & resistam eis.

Ego enim infirmus sum & dolens, & salus tua me suscipiat.

Corrigat & castiget me dextera tua, inimicis autem meis ne me tradas.

Multum repleta est anima mea, & derisione me infestantium, & contemptu superborum.

Deiecta est in me anima mea, aduersum me fremit, sed ego sperabo in te, quoniam iterum pro salute mea reddita, gratias agam tibi.

Propter veritatem tuam adiuua me, ô salus mea, spesque omnium finium terre & maris immensi.

Qui



Qui virtute tua ab æterno imperas, oculi tui omnia contemplantur.

Quis Deus præter te? quis fortis sicut tu Deus noster?

In umbra alarum tuarum sperabo donec prætereat malitia.

In te fortis ero, & securus in sempiternum, & in seculum seculi, Amen.

## PSALMVS XI. DE

*fiducia in Deum.*

**D**omine lux mea, & salus mea, à quónam metuam?

Domine fortitudo vitæ meæ tu, in quo semper sperabo.

Quemadmodum enim ceruus ad riuulos aquarum, sic desiderat anima mea ad te, ô Deus.

Sitit ad te anima mea, quoniam apud te est fons vitæ, & refrigerium in tribulatione.

Hic labor atque dolor, calamitas atque miseria.

Quotidie bellum cum inimicis, nulla requies nec pax in vita nostra.

Sed quisquis in adiutorio tuo fiduciam posuit, securus protectione tua in æternum consistet.

E. ij